A *meus es, & refugium meum.* Sic legit & Arabs: *Tu es ille adiutor meus.* Hieron. *Spes mea & fortitudo mea.*

*Quoniam ipse eripiet te.*] Ebr. כי הוא יציל ך Consentit & Chaldæus, & Græcus, & Hieron. Latinus interpres legit: *Quoniam ipse liberabit me:* quemadmodum & Arabs. *Vers. 3.*

*A pestę omnium pestima.*] Ebr. מדבר הוות. Græcus quoniam sine punctis legit, vertit, ἀφ' λόγου ταραχώδους: id est, *A verbo turbulento.* Et Latinus: *A verbo aspero.* Hieron. *De morte insidiarum.* Felix: *A pestę prauitatum.* הוות enim *prauitates* significant.

*Scutum & parma, fides eius.*] Ebr. צנה וסחרה אמתו. Græcus sic: ὅπλῳ κυκλώσει σε ἡ ἀλήθεια αὐτοῦ: id est, *Armatura circumdabit te veritas eius.* Hieron. *Scutum & protectio veritas eius.* Sunt qui legant: *Lancea & parmula, veritas eius.* *Vers. 4.*

*Qui habitas in abdito Altissimi.*] Primus hic versus descriptionem habet hominis fidelis, & à Deo pendentis. Huic tribuit Propheta, quòd in abdito & vmbra Dei habitet & commoretur. Per dictiones metaphoricas *abditum & vmbram Dei,* diuinam protectionem intelligit. In *abdito* significatio est refugij, quo quis ab insultibus aduersariorum tutus & abditus seruatur: cuius contrarium est, insidijs hostium patere & expositum esse. Per *vmbram,* recreationem ab æstu tribulationum significat. Dat itaq; pio & fideli homini, quòd per diuinã protectionẽ & consolationem tutus sit ac refocillatus, vbi illi tribuit, quòd in abdito & vmbra Dei commoretur. Quod versum est: *Et in umbra omnipotentis,* Ebr. est שדי, & omnis sufficientiæ significationem habet. EXPLANATIO. *Vers. 1.*

*Dicit Domino, Spes mea & munimentum meum.*] Ab hoc versu ad quartum decimum vsq; verba fiducię, hominis à Deo pendentis, & de protectione eius certò persuasi inducit. Sub hac forma Propheta absq; dubio animi sui fiduciam erga Deum, ad exemplum aliorum expressit. Facit pium animũ in abdito & vmbra Dei morantem, ista quę sequentur, penes seipsum in corde de protectione Dei loquentem, seq; ita contra omnis generis pericula consolantem & confirmantem. Proinde illud: *Dicit Domino:* idem est atq;, *Dicit de Domino.* id quod ipsa sequentium verborum forma satis ostendit. Quid de Domino dicit? *Spes mea est,* inquit, *& munimentum meum, Deus meus.* *Spem* ideo vocat, quòd in eum sperat: sicut & hoc versu dicit: *Sperabo in eum.* Sic Dominus spes in se sperantis, quemadmodũ gaudium in se gaudentis dicitur. Et nos Germani hac loquendi formula vtimur, quando aliquẽ vocamus, *vnseren trost/ vnser freud/ &c.* Dictio *munimenti,* arcem & munitionẽ significat in Ebręo. Dicit itaq; pius Prophetæ animus, Deum sibi arcis & munitionis esse loco: atq; hoc se pacto, cũ agitaretur à Saule, nec vspiam tutò consistere posset, cõsolatur. Illud: *Deus meus, sperabo in eum,* singulari affectu dicitur. Non solùm, *inquit,* in pręsenti spe certa ab illo pendeo, sed & in futurum sperabo in eum, quandocunq; periculorum aliquod occurrerit. Est enim Deus meus. *Vers. 2.*

B *Quoniam ipse eripiet te de laqueo venatoris.*] Hinc ad nonum vsq: versum, & post nonũ vsq; ad quartũ decimum, secum Propheta perinde atq; ad alium quempiam loquitur: sicut solent, qui in rebus arduis consultando ac deliberando secum ipsi mussitant, seq; ipsos alloquuntur: quale est quod Psal. 42. ad hunc modum legimus. Cur deprimeris anima mea, & tumultuaris intra me? Spera in Deum, &c. Sic ad seipsum hîc quoq; loquitur, cùm dicit: *Quoniam ipse eripiet te de laqueo venatoris.* Habent ista ἀιτιολογίαν præcedentium. Reddit enim rationem, quare velit in Deum porrò sperare. *Quoniam,* inquit, *ipse est, qui te eripiet.* Non simpliciter dicit: *Quoniam ipse te eripere poterit:* sed tanquam certò persuasus: *Quoniam ipse,* inquit, *eripiet te de laqueo venatoris.* Per *laqueum,* insidias: per *venatorem,* Saulẽ, meo iudicio, intelligit. Perinde nanq; ab illo atq; fera quædã passim in montibus, nemoribus, vallibus, & solitudine ad mortem structis insidijs quęrebatur. Illud: *A pestę omnium pestima,* de eo loquitur, quòd laqueus venatoris huius præsentissimam mortem attulisset, nisi ex eo diuinitùs fuisset ereptus, quò Hieronymus respexisse videtur, cùm reddidit: *De morte insidiarum.* Intelligit omnino de præsenti quodam exitio, quod *pestem* vocat. *Vers. 3.*

*Sub ala sua operiet te.*] Duobus similibus hoc versu protectionem Dei depingit. Prius sumptum est ab auibus, quæ pullos suos sub alis fouent ac tuentur: quale est quod in gallinis videmus. Alterum de militia petitum est, in qua miles scuto se & parma contra hostem tuetur. Dicit itaq;: *Sub ala sua operiet te, & sub pennis eius confides:* id est. Securus eris sub protectione illius. *Scutum & parma, fides eius:* id est, diuinæ illius beneuolentiæ constantia, quæ sperantibus in se fidem seruat, erit tibi loco scuti & parmæ, contra quæuis hostium iacula & insultus. Hanc fidem Dei alij *veritatem* nominant: quæ si rectè intelligas, idem est, quod *certa ac firma fides.* *Vers. 4.*

*Qui habitat in abdito Altissimi.*] 1. Nota hîc primum quæ Deo tribuat elogia, argumento huic fiduciæ & securitatis conuenientia. Primùm vocat eum עליון: id est, *excelsum.* Deinde שדי: id est, *omnisufficientem.* Sentit itaq; fidelis animus esse se, quasi in arce quadam altissima in quam nihil queant cuncti aduersarij: deinde nihil sibi omnium eorum quæ necessaria sunt defore, eò quòd in arce sit eius qui omnem habet sufficientiam. Solent huiusmodi arces pro inexpugnabilibus haberi, quę & in excelso sunt collocatę, & rerum necessariarum copia abundant. Talis arx est animo fideli Dominus excelsus, & omnisufficiens. 2. Deinde vide quid secundo loco Deo tribuat, צל & סתר: id est, *abditum & umbram.* Nõ solùm ipse excelsus est & omnisufficiens, sed & receptacula habet & vmbras, quibus ad se fugientes recipiat, tueatur & recreet. 3. Tertiò, notemus & hoc, quòd non dicit, *Qui nouit apud excelsum & omnipotentem esse abditum & vmbrã:* sed, *Qui habitat & moratur in abdito, & vmbra excelsi & omnipotentis.* Securitatem animi non præstat scire tantùm, esse apud Deum protectionem eorum qui ad ipsum confugiunt, sed habitandum & commorandum in ea est. Habitatio ista est non trepidantium ac diffidentium (quale est quod de Loth legimus, qui cùm in ciuitatem Segor conseruandi gratia permissu angeli fugisset, in ea non mansit, propter diffidentiam. vide Gen. 19.) sed confidentium, atq; in fide diuinæ protectionis permanentium. OBS. 1.